

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 19

Carlus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid locis sanctorum venerabilium ob amorem domini et oportunitatem servorum dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis ad remedium animae nostre vel stabilitatem regni nostri in dei nomine pertinere confidimus. Idcirco notum sit magnitudini omnium fidelium nostorum presentium scilicet et futurorum, qualiter ad monasterium Herolfesfeld super ripam Fulde fluminis in honore beatorum apostolorum Symonis et Thathei constructum rogatu Lulli Mogontiacensis archiepiscopi, instructoris eiusdem loci, donamus nos eclaesiam in Grabonowa ab eodem Lullo episcopo constructam cum omni integritate, id est decimatione terris domibus aedificiis mancipiis silvis campis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus molis molendinis viis et inviis exitibus et reeditibus quesitis vel inquirendis seu cum omnibus quae dici vel nominari possunt utilitatibus, a loco qui dicitur Swerzevurde usque Dagkenbrunnon et inde ad Medelhereshuson et sic per Nisdenbahc usque Humbenrod et contra Buhcchenenwird usque ad flumen Fuldae indeque sursum per eiusdem fluminis alveum usque ad Steinincruce et inde in Breidenbahc et sic sursum usque in Waddenbahc sicque deorsum usque in Milzisa et in Massenbrunnon, deinde in Crepelessore et sic super Rodenhard et inde deorsum per silvaticam viam usque Swerzelvurde. Propterea hanc preceptionem auctoritatis nostrae conscribi iussimus, ut nullus de iudiciaria potestate Bunoni abbati eiusdem loci vel successoribus eius calumniam vel contrarietatem quoquo tempore facere presumat. Et ut haec auctoritas firmior habeatur, sigilli nostri inpressione confirmari iussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Wigbaldus advicem Radonis regonnovi. Data pridie kal. septemb. indictione VII, anno XVIII et XIII regni nostri; actum Wormacia palatio nostro; in dei nomine feliciter.